

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

aedificatione impedita purgat se
epist. 7.

Quod genus querelae] Non enim te, quod improbus ipse esses, sed quod improbis credidisses, accusavi.

Difertae] Ornate loquentes.

Aristarchus] Grammaticus Alexandrinus Aristophanis discipulus, ut in Carisso et Suida legimus. is Homeri versus iudicavit, ut veros ab adulterinis secerneret. lib. 9. epist. 10.

Proauo] Ap. Claudio Caeco, qui censor aquam Claudiam in urbem perduxit, anno urbis CDXLI. sed is antiquior, quam proauus. parum enim subtiliter Cicero temporum rationem examinat. Quid, quod idem in huius Ap. Caeci mentione non solum ab historia discrepat, cum appeller hic proauum, qui longiore distat intervallo, sed ipse etiam sibi non constat: nam quem

in hac epistola proauum, in orat. de haruspicum responsis c. 18. abauum Clodii vocat. Ne id quidem sentis, inquit, conuincens illos oculos abau tui magis optandos fuisse, quam h s flagrantis sororis? Fuit autem Ap. Caecus P. Clodii non proauus, aut abauus, sed tritauus: quod ex fastis maxime Capitolinis licet colligere. similis *conuicta* Ciceronis in orat. pro domo c. 47. cognoscitur. C. Atinius, inquit, boni Q. Metelli, aui tui, Q. Metelli, conficiant. Metellum Macedonicum (hunc enim significari, ex Plinio lib. 7. c. 44. et epitome Liviiana lib. 59. cognouimus) auum appellat Q. Metelli Nepotis, qui tum consul erat: cum proauus eius, non auus, fuerit. nam Macedonici filius Balearicus genuit Nepotem, patrem huius Nepotis, quem Cicero appellat: quod Pedianus in commentario Cornelianae, et fasti etiam Capitolini declarant.

EPISTOLAE XII.

ARGVMENTVM.

Gratulatur Appio de absolutione ambitus: excusat filiae nuptias, quam accusator Appii Dolabella uxorem duxerat: seque ait ea causa diligentiorum ad beneuolentiam declarandam esse factum.

EXPLANATIO.

Virtutis, industriae] Multis rebus ornat virtus et industria: sed multis virtute praeditis nonnumquam defuit industria; quae excellunt ii, qui et prompte res agrediuntur, et diligenter perficiunt.

Ne in tabellae quidem latebra] In tabellis, quibus iudices absoluebant, aut condemnabant reos, latere poterat maleuolentia. quis enim sciret, a quo damnatus esset?

quae tamen in tabellis occulte impugnare Appium maleuolentia potuit, nulla fuit: quoniam sententis omnibus absolutus est.

Non horum temporum, non horum hominum atque morum] Tempora sunt inimica virtuti, hominum voluntas ad flagitium propensa, mores consuetudine corrupti. quis igitur exitum iudicii tui tam gloriosum extitisse non miretur?

Q 2

De

De me autem] Quod autem ad filiam meam, accusatori tuo collocatam, pertinet: suscipe meam personam, ut putes te esse, qui ego sum: tum intelliges, mihi ignoscendum esse, nunc haesitanti, quia nec tu facile inueneris, quod dicas. haesito autem, quia neque possum dicere probari a me nouam affinitatem, quae cum accusatore tuo contracta sit; nec improbare debeo, ne malis omnibus prosequar eam rem, quam tu quoque mihi prospere cupis euenire.

Eum te esse finge, qui sum ego] Lib. 7. epist. 23. *Fac, quaeso, qui ego sum, esse te.*

Si facile inueneris] Tibi accidet, quod nunc mihi, ut non inuenias, quod dicas. ita intelliges, ignoscendum nunc esse haesitationi meae. quod si inueneris, quod dicas, ne ignosce.

Haesitationi meae] Quia non possum explicare, utrum mallet, factas, an infectas cum Dolabella nuptias. si factas, laedi videtur amicitia nostra, cum accusatoris tui affinitatem probem: si vero infectas, non ominabor optime de filiae coniugio. quod cum ita sit; aequum est, a te ignosci haesitationi meae. sin aliter sentis: finge te esse, qui ego sum; tu quoque haesitabis.

Sed ita cecidisse] Sed quod ita ceciderit, ut agerentur eo tempore, cum tu reus esses; omnino felicitatem aliquam et spero, et opto; verumtamen cum hac spe coniunctus dolor est, quod acta sint eo tempore, quo ego minime voluissem: quem mihi dolorem minuit sapientia et humanitas tua: sapientia, quod cum perspicies, hanc rem, me

insciente, a meis esse factam, prorsus omni me culpa liberandum intelliges: humanitas, quod nihil te durius de me suspicari tua natura patietur.

Opportunitas temporis] Non enim opportuno tempore facta res est. itaque, ut rem ipsam probem, tempus tamen probare non possum.

Ea de re] De nuptiis.

Neque non me tamen mordet aliquid] Quiddam tamen est, quod moleste feram, hoc videlicet, quod, quo tempore Dolabella tuam salutem oppugnabat, eo sit a meis ei filia mea in matrimonio collocata.

In quo unum vereor ERN. non vereor] In quo unum certo scio, non te parum perspicere, etc.

Ab aliis] A. M. Coelio. lib. 8. epist. 6. tres antiqui libri, *ab illis: quinque, ab aliis.*

Tam longe] In provincia.

Ad me ne referrent] Falsum: nam retulit ad eum Coelius. lib. 8. epist. 6.

Rem probassem] Probari a se rem ostendit, ne male ominetur, proxime: *neque enim tristius dicere quidquam debeo ea de re, quam tu ipse omnibus optimis prosequeris.*

De tempore] Vtrum affinitas cum Dolabella, quo tempore Appium accusabat, iungenda, an post exitum iudicii reiicienda; ne quid Appio eius coniugii fama, propter auctoritatem, et gratiam Ciceronis, apud iudices noceret.

Laborantem] Cum non facile reperiat, quod dicat in ea re, quam neque improbare vult, ne filiae nuptias omine parum laeto prosequatur, neque improbare audet, ne Appium offendat. ideo, se haesitare iam

iam dixit, et institutae orationis exitum non reperire.

Iam tunc] Cum ex amicorum litteris de Dolabellae et filiae matrimonio cognoui.

Omnia negotia] Quae pro Appii absolutione in maiestatis iudicio facere poterat. nam, quod ad ambitum pertinet, nullum Ciceronis provinciale negotium ei prodesse poterat: cum ambitus largitio sit in urbe facta obtinendi honoris gratia.

Studio] Ad animum pertinet, ac voluntatem: ad operam autem id, quod subiunxit, *acrius, apertius*. quod paullo post declarat his verbis, *benevolentior tibi, quam fui, nihilo sum factus: diligentior ad declarandam benevolentiam, multo*.

Annuo] Annuum erat provinciarum imperium. de qua re in epist. 7. lib. 1.

Decedenti] Primus decessionis dies fuit, III. Kal. Sext. ut apparet ex epist. 6. et lib. 5. ad Attic. epist. 15. et lib. 6. epist. 3.

Ante diem III. nonas] Perinde est, ac si dixisset, III. non. id ex lib. 16. epist. 1. ad Tironem intelligi facile potest. *Ante diem III. non.* veteres dicebant, id est, die tertio ante nonas. nam, cum dicitur, III. non. concisa locutio est: quae integra esset, si diceres, III. die ante nonas. qua non utebantur antiqui, sed eius loco, *ante diem III. nonas*.

Sidam] Maritimam partem provinciae vocat epist. 5.

Servilius] Amicus Appii; qui fortasse iuerat in provinciam, tum ut Appium Ciceroni praefens commendaret; tum etiam ut hominum provincialium odia in Appium leniret; ne Romam, dicturi aduersus eum testimonia, profiscerentur. quibus enim rapinis provinciam Appius exhaustam reliquerit, qui gemitus consecuti, scribit ad Atticum Cicero lib. 5. epist. 15. et 16. et lib. 6. epist. 1.

Benevolentior tibi, quam fui, nihilo sum factus: diligentior ad declarandam benevolentiam, multo] Similis locus lib. 13. epist. 60. *Cuius calamitas etiam officiosorem me facit in illum. nam benevolentior, quam semper fui, esse non possum*.

Vetus] Quae ante annos aliquot esse coeperat, quo tempore inter Ciceronem, et P. Clodium, Appii fratrem, exortae inimicitiae sunt, M. Pisone, M. Messalla cons. lib. 1. ad Attic. epist. 16.

Simultas] Simultas occultum et mediocre post benevolentiam odium est.

Stimulabat] Non simultas, quae tunc nulla erat, sed eius memoria.

Fiste reconciliatae gratiae] Ideo scripserat Coelius ad eum lib. 8. epist. 6. *Cauendum tibi erit, ne parum simpliciter et candide posuisse inimicitias videaris*.

Affinitas] Dolabellae, Appii accusatoris.